

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1439

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 13 / Tabuteau 110 / ARTEM 2665

**Auteur(s) :** Raoul, Ivry (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1011, 15 septembre

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard II souscrit la charte dans laquelle Raoul, comte [d'Ivry], énumère ses diverses donations à Saint-Ouen :  
— du temps de l'abbé Hildebert : dans le comté d'Évreux, Daubeuf, Venon, Lignon, Quatremare ;  
— du temps de l'abbé Henri : dans le comté de Rouen, le domaine du Manoir avec l'église, l'eau et un bois propre à engraisser cinq cents porcs ; le domaine de Chambrais avec Cocherel, l'église et un bois ; dans le comté d'Évreux, deux moulins et la pêcherie sur l'Eure.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 14 H 915 (3).

### Éditions principales

- a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 422 et 249.
- b. Mauduit François-Joseph, *Histoire d'Ivry-la-Bataille et de l'abbaye de Notre-Dame d'Ivry*, Évreux, Hérissey, 1899, p. 22.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 13, p. 86-89.

### Indications

Stapleton Thomas, *Magni Rotuli scaccarii Normanniae sub regibus Angliae*, Londres, Soc. antiq. Londinensis, 1840-1844, 2 vol., t. 1, p. LVI.

## Dissertation critique

Le texte de l'édition de FAUROUX, n° 13 est pris d'après A, original conservé aux Arch. dép. Seine-Maritime, 14H915A. Le manuscrit B (copie interpolée contemporaine, Arch. dép. Seine-Maritime, 14H915B) présente des souscriptions différentes qu'A ; le manuscrit C est copie interpolée du XIIe siècle (Arch. dép. Seine-Maritime, 14H915C).

Texte établi d'après c

Juridicialium quippe causarum status mundialiumque rerum ratiocinatio profusius atque rectissimus rethoricæ dulcedinis exigit locus ut res quæ legaliter prudenterque diffiniendo a superstitis determinantur posterorum futurorumque memoriæ cartis inserantur, quatinus omni scrupulosæ rei sophismate dempto, omnique falsæ opinionis jurgio floccipenso atque penitus evacuato, veritas dubitandæ rei cunctis clarius luce enucleetur probabiliter aperta. Quapropter, comperiat Northmannorum tam præsentium quam futurorum industria, tradidisse et donasse me qui nuncupor Rodulfus comes, peccator, et indignus et conjugem meam nomine Albredam ad locum Sancti Petri ætherei clavigeri, et Sancti Audoeni Christi magnifici (sic) asertoris, situm contra orientalem plagam in suburbio Rodomagensis urbis, tempore Hildeberti abbatis, res meæ proprietatis et dictionis sitas in comitatu Ebroicacensi scilicet Dalbuoth, Venetun, Lillunt, Guitricmara. Post decessum vero meæ conjugis et Hildeberti abbatis, tradidi alias res meæ potestatis, meique legitimi juris, superstite Henrico abbate videlicet villam in comitatu Rodomagensi quæ dicitur Almaneir cum æcclesia et cum aqua variis piscibus admodum plena et cum luco ubi possunt saginari quingenti porci, cum arabilibus terris cultis et incultis et aliam villam quæ dicitur Cambracus cum Coce[re]llo cum æcclesia, cum terris arabilibus cum cultis et incultis et cum luco præmaximo, et in Ebroicacense comitatu super flumen Otduræ duo molendina cum fertili piscatura. Hæc dona rerum mearum in hoc membrano litteris prænotata, trado Sancto Petro apostolorum principi et Sancto Audoeno confessori luculentissimo, dimidia pro remediis animæ Richardi senioris mei et fratris, Normannorumque ducis et marchionis præpotentissimi, et patricii almiflui, et dimidia supra scriptarum rerum, pro remedio animæ meæ et pro requie animæ uxoris meæ atque pro animabus filiorum meorum et filiarum ut monachi, sub tutela Sancti Petri omnium discipulorum Christi principis, atque Sancti Audoeni confessoris Christi, præcipui Christo regi regum devote famulantes teneant præscriptas res et possideant et usus fructus accipiant et quicquid facere voluerint libere in servitio Christi et in famulatu Sancti Petri atque Sancti Audoeni faciant. Si quis meorum heredum aut quelibet persona extranea contra hanc traditionem legitimam vel contra hoc decretum jure determinatum et definitum venerit, et infringere maluerit, inprimis iram Dei omnipotentis incurrat, et quod repetit non evendicet sibi, sed confusus et dempnatus et excommunicatus et anathematizatus recedat persolvatque regi Francorum centum libras auri ducique Normannorum similiter centum. Actum est hoc Rodomo civitate, anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi, millesimo et .XI., regnantge Rotberto rege, indiccione nona, feria .VII., luna .XIII., .XVII. kalendarum Octobrium.

Signum Richardi marchionis.

Signum Rotberti archipresulis.

Signum Rotdulfi comitis qui hanc cartam fieri jussit.

Signum Hugonis episcopi filii Rodulfi comitis.

Signum Rodulfi filii Rodulfi comitis.

Signum Hugonis episcopi.

Signum Hugonis militis.

Signum Turchitin militis.

Signum Gulberti militis.

Signum Gerardi militis.

Dudo capellanus Richardi Northmannorum ducis et marchionis hanc cartam composuit et scripsit.

(Les souscriptions de B) :

Signum Richardi marchionis. + Signum Hugonis episcopi filii Rotdulfi comitis. Signum Rotberti archipresulis.

Signum Rotselini. Signum Rotdulfi comitis qui hanc cartam fieri jussit. Signum Hugonis episcopi. Signum Vuillelmi comitis. Signum Malgeri. (A la ligne suivante, même formule de chancellerie que dans A.)

(Les interpolations finales de C) :

in loco qui Cokerellus sortitur nomen et in Bretevilla que est prope Fiscannum ; possessionis mee de Bretuello, omnes decimas totius ville et feodi et omnium locorum eidem feudo pertinentium cum ipsius ville ecclesia, assensu militum vavassorum et hominum qui de me tenent, et in villa prænotata quinque acras telluris ad sedem grancee, et centum acras in loco qui vocatur Busc, hec quippe omnia dona possessionum mearum in hoc membrano litteris prænotata trado Sancto Petro apostolorum principi et Sancto Audoeno confessori luculentissimo, dimidia videlicet pro remedio anime donni Richardi senioris mei et fratris Normannorumque ducis ac marchionis præpotentissimi

ac patricii almiflui, et dimidia pro reque anime mee atque uxoris et pro animabus filiorum meorum et filiarum ut monachi sub tutela Sancti Petri apolorum (sic) Christi principis atque Sancti confessoris Audoeni Christo regi regum devote famulantes teneant et possideant dominaliter liberas et quietas in perpetuam elemosinam res memoratas et in eorum usus fructus earum et universas utilitates accipiant, si quis vero heredum meorum aut quelibet persona extranea, contra hanc donationem meam legitimam et contra hoc sancitatis decretum jure determinatum venerit, et infringere maluerit in primis iram Dei omnipotentis incurrat et quod repetit non vendicet sibi sed confusus et condempnatus et excommunicatus recedat, persolvatque regi Francorum centum libras auri, ducique Northmannorum similiter centum.

Actum est hoc Rodomo civitate anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi, millesimo et undecimo, indictione nona, feria septima, luna .XIII., .XVII. kalendarum Octobrium, regnante Roberto rege Francorum, et procurante Normanniam Ricardo secundo et in sede Rodomagensi archipresule Rotberto, in quorum presentia eorumdem attestazione et assensu, prefatam donationem, ego Rodulfus comes feci et recognovi et sigillo et signo + prasenti (sic) multis audientibus et videntibus roboravi(pas de souscriptions).

Dudo capellanus Ricardi Normannorum ducis et marchionis, hanc cartam composuit et scripsit.